

Ludwig Christoph Bloss

**Programma De Disciplina Pacis Nostrae Ad Illvstrandvm Locvm Iesaiae LIII. 5. :
Qvo Ad Orationes Cras Finitis Ante Meridiem Sacris In Schola Nostra Benevole
Avdiendas Ea Qva Decet Observantia Et Hvmanitate**

Naumbvrgi: Typis Balthasar. Bossoegelianis, [1721?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862070856>

Druck Freier  Zugang



32

Fa-1092(32)

2
3
6
7
8
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

PROGRAMMA
DE
DISCIPLINA
PACIS NOSTRAE
AD ILLUSTRANDVM LOCVM
IESAIAE LIII. 5.

QVO AD
ORATIONES
CRAS FINITIS ANTE MERIDIEM
SACRIS IN SCHOLA NOSTRA
BENEVOLE AVDIENDAS
EA QVA DECET
OBSERVANTIA ET HUMANITATE
INVITAT

M. LVDOV. CHRISTOPH. BLOSSIVS, R.

NAVMBVRGI,
Typis BALTHASAR. BOSSEGELIANIS, Typogr.



Esaias, ex regia qui stirpe genus su-
um ducit, rex sanctorum uatum &
ipse ueteris testamenti euangelista
iure meritoque appellatur. Tam
digne enim, tam praeclare de IE-
SV, instauratore salutis nostrae,
cecinit, ut ipsi prae caeteris datum
uideatur os magna sonaturum. De ipso uero Sal-
uatoris optimi partu, deque passione ipsius & morte
tam large, tam copiose multa enarrat, quasi prae-
sens fuisset spectator & arbiter rerum, post multa
demum secula gestarum. Quis non in admiratio-
nem rapitur, & in pium quasi stuporem agitur, qui
diuinum ipsius legit uaticinium de cruciatibus &
doloribus Messiae patientis & morientis, quod
per integrum, ut uocant, caput LIII. prolixius per-
sequitur? Dignum sane uiri litterarum sacrarum
peritissimi istud iudicarunt, quod amplioribus illu-
strarent commentariis. Quare ex illo ipso cum
pericope sit desumpta, quae crasstina supplicationum
die solenniori pro rostris sacris est explicanda, e-
gregiam sane dicendi materiam habebunt orato-
res sacri, & uberiolem ex ipsa fructum capient pii
auditores.

Eandem ob causam nos ex ipso etiam non nul-
la selegimus pro materia programmatis nostri, ad
actum

actum oratorium indicandum scribendi: destinata enim chartae angustia non sufficeret, si omnia uel breuius recensere uellemus. Prae caeteris autem elegimus contemplanda uerba commatis V: וְיִשְׁלַח אֱלֹהֵינוּ שְׁלוֹמֵנוּ i. e. *Disciplina pacis nostrae est super ipsos*. De quo uati nostro sermo fit, ut multis probemus, non est opus. Ipse Petrus in epistola priori, II. 24. haec & alia, quae Iesaias hoc uaticinio complectitur, de CHRISTO exponit. וְיִשְׁלַח אֱלֹהֵינוּ שְׁלוֹמֵנוּ

De quo igitur nos certiores per Petrum facti, maxime occupati erimus in uindicanda & explicanda significatione uocis *Schalom*, quae uel sola utramque faciet paginam: reliquae enim uel nullam, uel breuem saltem desiderabunt explicationem. Nomen etenim שְׁלוֹמֵנוּ quod a primitiuo uerbo שָׁלוּ *castigauit*, uel *erudiuit*, originem ducit, uel *castigationem* significat, uel *eruditionem*. Cohaerentiam uero dictorum si consideremus, ipsa uix aliam, quam *castigationis* siue *disciplinae* significationem admittet. Quam & uersiones Germanica, Latina, Graeca, Chaldaica, Syriaca, aliaeque, uti & interpretes ad unum omnes, qui puriori religioni Christianae sunt addicti, consensu approbant communi. E contrario in interpretanda uoce שָׁלוּ autores in varias abeunt sententias. Ipsum enim uerbum שָׁלוּ uti tribus gaudet significationibus: (notat enim uel *complere*, uel *pacem habere aut colere*, uel *persolvere aut retribuere*.) ita triplicem etiam significationem, (alius
) (2) nem-

nempe aliam,) nomini *Schalom* attribuere non dubitant. Non autem sequitur, omnes, quas verbum, praesertim in diuersis coniugationibus, significationes habuit, easdem & habere nomen eiusdem formae; nisi testimonium probationis accedat. Quare cum Munstero nos sententiam eorum, praesertim R. Kimchi, merito reuicimus, qui *Schlomenu*, per *completionem*, uertunt, & hanc reddunt interpretationem: *Disciplina completionis nostrae, i. e. Disciplina nostra completa siue integra est super ipso*. Nullum enim huius significatus testimonium pro uoce *Schalom* uel *Schlomin* afferre norunt: nam quod ex Ierem. XIII. 19. adducunt, dubium est, quia communem etiam significationem *pacis* siue *pacificorum* ex uersione Iunii & aliorum admittit. Caeterum quae de uiolato orationis regimine Munsterus in hac interpretatione monet, ipsam parum uiolare mihi uidentur.

Maiores ueritatis opinionem prae se fert altera explicatio, quae *Schalom* uel *Schlomenu* per retributiones reddit, ut hic proueniat sensus: *Disciplina retributionum nostrarum, h. e. supplicium, quod nos retribuere uel soluere debuimus pro peccatis nostris, ipsi est impostum*. Quam sententiam Sanctius habet, & ex ipso Glassius adduxit in *Gramm. S. Tr. I. Can. XXVII. 4*. Nomen *Schlomin* in numero multitudinis, quatuor tantum in locis scripturae sacrae occurrit. In Psalmo nempe LXIX. 23. ubi per *retributiones* optime uertitur; & in Psalmo LV, 21. atque Ierem. XIII, 19. ubi

ubi communior *pacis* siue *pacificorum* significatio retineri potest; tandemque in nostro Iesaiæ loco; sed ubi *Grammatici certant & adhuc sub iudice lis est*. Ipsa quippe lectio uariat. Nonnulli enim codices, e. g. Buxtorffii, nomen שלומינו exhibent scriptum cum littera Iod in suffixo, quæ numeri pluralis nota est. Plures autem, nempe Munsteri, Bombergi, Stephani, Leusdenii, Iablonski, uon der Hooght, Maii, & aliorum, Iod illud non habent; sed consuetam singularis numeri formam typis exscriptam præbent. Nec dubium est, quin utrique lectioni codices, quos in edendis Bibliis autores illi adhibuerunt, manuscripti faueant. Quemadmodum uero doctores Hebraeorum recte monent, a parua littera Scripturæ sacrae magnos saepe montes pendere: ita hoc etiam in loco Iod, litterarum Hebraicarum minima, magnum huic sententiæ pondus uel aufert, uel affert. Si enim Schelomenu sine Iod in singularis numeri forma legitur, significationem *retributionis* tueri non poteris, quoniam pro ista probanda nullum in scriptura locum inuenies; quem tamen, si cum Iod in numero multitudinis legatur, Psalmus LXIX, ut supra dictum est, ex mente non nullorum dabit.

Huic igitur aequæ, ac priori sententiæ, præferenda uidetur tertia, ut certior & tutior: quippe quæ communem uocis *schalom* significationem, nempe *pacis*, retinet. Nomen enim *schelomenu* siue per singularem, siue per pluralem & multitudinis

numerum, pro uariantibus codicibus, exposueris, significationem *pacis* tueri poteris, quam & ipsa tuetur perspicuitas sensus, qui hic est: *disciplina pacis nostrae*, i. e. quae pacem nobis pariat, *est super ipso*. Munsterus quidem, de quo Frobenius recte iudicauit, quod uel ipsis Hebraeis fuerit Hebraice doctior, exponit *lo Schlomenu per pacem siue securitatem peccandi*: *Nos*, inquit, *in pace & securitate altum dormiuimus somnum, & peccata peccatis cumulauimus, ut necesse esset, illum nostri loco castigari*. Sed, ut cum pace tanti uiri dicam, eiusmodi pacis significatio mihi uidetur durior, & ipsa constructionis siue loquendi forma minus usitata. Nomen enim *Musar* i. e. *Disciplina*, ubi cum alio nomine construitur, quod rem denotat, (liceat mihi cum philosophis breuius loqui,) effectum potius, quam causam, describit. Sic timor Domini (Prou. XV. 33.) uocatur disciplina sapientiae, quod doceat sapientiam; & Ieremias lignum idoli (X. 8.) appellat disciplinam uanitatum, quod seducat ad vanitates; ita & (Iob. XX. 3.) disciplina ignominiae est, quae peperit ignominiam. Nostram sententiam approbat R. S. Iarchi, cuius in nostrum locum, (quem quidem non de Messia, sed de Iacobo siue populo Israëlitico agere statuit,) haec sunt uerba: *Venerunt super ipsum castigationes pacis, quae sit nobis, quoniam ipse est castigatus, ut pax sit in omne seculum*. Nobiscum etiam plurimi Christianorum interpretum faciunt, &
in-

inter ipsos quoque Megalander noster, Lutherus, cuius hæc est versio: Die Straffe liegt auf ihn/ auf daß wir Friede hätten. *Pax* autem vocabulum est ex iis, quæ amplissimo significationis suæ ambitu plura complectuntur. Non enim solum quietam reipublicæ felicitatem, maximum illud bonum, designat, sed per tropum, quem Synecdochē speciei rhetores uocant, omnem omnino prosperitatem. Quare, uti inter omnes constat, solennis Hebræorum mos est, ut in acclamationibus, salutationibus & benedictionibus sub nomine pacis fausta quæque appresentur. Gum primis uero beneficiorum coelestium, merito CHRISTI partorum, plenitudo ex stylo Scripturæ per *pacem* indicatur. Sic ipsum opus iustitiæ, post effusionem Spiritus Sancti perficiendum, a Iesaiâ (XXXII. 17.) *pax* vocatur. Et Paulo (ad Philipp. IV. 7.) ἡ εἰρήνη τοῦ θεοῦ, ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, nihil aliud est, quam copia immensæ DEI bonitatis, quam nec cogitando assequi possumus. Plura testimonia qui desiderat, inueniet ipsa in Glassii Rhetor. Tr. I. cap. XV. p. m. 449. Hæc igitur *pax*, meritis CHRISTI parta, est optima rerum, quas homini nouisse datum est.


Verum non sacris tantum scriptoribus, sed profanis etiam notio uocabuli *pacis* latior est, quam ut per eam tantum ciuilem quietem designent. Gentiles enim uti multa ex sacris Hebræorum ad sua transtulerunt; ita sacras etiam precum formulas, quam-


quamquam corruptas, ab iis accepisse, non est dubium. Non possumus non in gratiam discipulorum nostrorum de voce *pacis* non nulla repetere, quae nuper in Iustino explicando attulimus. Refert enim iste autor *Lib. XVIII. 6. 12.* Carthaginienses, cum inter caetera mala peste laborarent, impuberes aris admouisse, *deorum pacem* eorum sanguine exposcentes. Vox enim *Schalom* sicut in sacra benedicendi formula piisque aliis precationibus a Iudaeis adhibebatur: ita & *pax* uerbum solenne fuit in sacris & precibus gentilium. Quare & Virgilius, nemorum deas exorare iubens, ita cecinit, *Georg. IV. 534. & 535.*

Tu munera supplex


Tende, petens pacem & faciles venerare Napaeas. Ipse etiam Livius hanc dictionem, ubi de inuocatione deorum agit, saepius adhibet, uti *XXX, 13. 3.* *A diis pars utraque, hostiis mactandis, pacem petit, ut mala scilicet averterent & parcerent.* Nonnunquam etiam *veniam & pacem* in formulis precum coniunxerunt: ita enim Cicero in Orat. pro Fonteio: *illi in bellis gerendis a diis immortalibus pacem & veniam petunt.* Quare Seruius *pacem & veniam* pro synonymis habet, & proprie verba pontificalia esse docet in notis ad Virgil: *Aeneid. l. 522.* Videantur plura apud Briffon: *lib. 1. de Form.*

Sed missos faciemus gentiles cum suis diis, qui ipsis, (verbis Ieremiae mihi liceat uti,) sunt disciplina uanitatum; & ad IESUM nos conuertemus, qui tulit disciplinam pacis nostrae, ab eoque pacem & ueniam petemus. Id quod facere nos etiam iubet solennius supplicationum festum, cras cum DEO pie celebrandum. Quod uero ut scholae nostrae alumni etiam faciant, duos ex iis iuuenes eligimus, qui ipsi monitis praeceptorum morem gerunt & officio suo satis facere student, ut commilitones ad ea, quae ipsis facienda sunt, adhortentur. Alter, *IOHANNES PHILIPPUS GULDENERUS, Naumburgensis,* in oratione Latina docebit, quomodo dolores CHRISTI dolores poenitentiae in nobis excitare debeant, & ita commilitones ad ueram adhortabitur poenitentiam. Alter uero *MICHAEL FRIDERICUS GEUSSENHAINERUS, Roda-Thuringus,* ipsa uerba Iesaiiae (*LIII, 4. 5.*) quae pro concione sunt interpretanda, paraphrasi explicabit in carmine heroico Latino. Quibus oratoribus nostris ut Auditores frequentes adesse uelint, obnixè rogamus; & ne scholam nostram tanti beneficii unquam immemoremprehendant, nos operam daturos esse, sanctè pollicemur. P. P. Naumburgi pridie Non. Martii. MDCCXXI.










the scale towards document



Sed vt breuiter me expediam. Siue quis cum
mundi Systematis defensoribus vetustioribus in
corpus aliquod caeli Sapphirinum et nitidum,
eretur a stellis fulgentibus, siue cum Copernicanis
bus aëris collustrati circa solem circuitum celerrim-
ingrat, nobis hic quidem perinde est. Nam
piam patitur accommodationem ad splendorem
i ad regnum caelorum sint edocti, tanto maiori
uirendum in vita aeterna, quanto maior in Deo
hic cognoscendo, cognito diligendo, atque hoc
secundo alios bono exemplo animi fuit industria et

Et si secus res ita sese habeat, quod caeli ma-
e B. Hübnero in Lexico Curioso-Realii sub voce
ficenim B. Lutherus *תורה* Germ. des
(Stanz vertit) elementari quadam longe sit subti-
nque caelum pellucidum, licet nostrorum oculo-
tum fugiat, ceterem nihil hac obseruatione me-
imere arbitror. In primis si spectes beatorum
Φωνες tanta subtilitate non minus gaudens, quam
ereum s. sapphirinum, vt qua ratione *ἡ ζωὴ αὐτῶν Col. III, 2. 4.*

τὴν τῶν Χριστῶ ἐν τῷ Θεῷ in hac vita, eadem etiam in illa
δόξῃ, ἣν ἠτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν Φανερωθή.
enim Christus, nostra vita h. e. fons et origo vitae
spiritualis, quam in nobis per Spiritum gratiae
tum *aeternae caelestis*, tandem in resurrectione
bitur *τότε καὶ ἡμεῖς σὺν αὐτῷ Φανερωθήσόμεθα ἐν δόξῃ.*
emum omnibus modis fulgor beatorum *כבוד*
cut splendor expansi his in terris haud raro nubibus
obducti pro cuiusuis eorum capacitate enitescet.
lor atque claritas Abelis occisi longe maior erit ali-
quam qui occiderat, latronis in cruce Christo comi-
um ingredientis: Mariae corpus clarius et orna-
m sororis Marthae ex Luc. X, 38. sq. Vno ver-

B 3

bo: /